

De vano apud Veteres salis usu.

A D
ANNIVERSARIAM ORATIONEM

HC
1179

I N
M E M O R I A M
CHRISTIANI KEIMANNI,

GYMNASII QVONDAM ZITTAVIENSIS
DOCTORIS INSIGNITER PROMERITI,
FVTVRO DIE MARTIS,

D. XXVI. AVGVST. AN. MDCCLXVI.

HOR. VIII. MATVT.

AB SE HABENDAM

OBSEQVIO, QVO PAR EST, ET OBSERVANTIA

INVITAT

ADAM DANIEL RICHTERVS,

GYMNAS. DIRECT.

ZITTAVIAE,
LITERIS VIDVAE STREMELIANIS.





*

*

*


Salis usus non solum in culina semper magnus et necessarius, sed multiplex etiam et uarius olim in aliis rebus, cum humanis tum diuinis, fuit. Sal enim, cuius natura ignea, corpora uero adstringens et alligans est, ad duritiem corporibus praesertim imprimendam adhibebatur, et mos erat apud antiquos, ut obstetrices tenera infantium corpora statim, dum adhuc uteri calorem tenebant, sale contingerent, Galenoque ita praecipiente sale semper confersa fasciis obuoluerent, *uid. Rhodigin. Antiqu. Lect. VI.* Qui quidem mos infantes recens natos sale adspargendi, quo cutis eorum confirmaretur, nec Ebraeis insolens fuit, *Ezech. XVI, 14.* Et ob uim quandam perpetuitatis, quae in sale esse creditur, Egyptii corpora mortuorum sale praesertim praeter alia condimenta, putredinem abigendi ergo, complebant. Salis quidem usus moderatus forsitan ad foecunditatem quoque multum conferre potest, quum nullibi magis generandi facultas luxuriet, quam in profunditate maris et in marinis animalibus, quia autem multus salis usus corpora tamen uehementer exsiccet et sic sterilitatem certissime efficiat, inde apud antiquos etiam in usu fuit, ut urbibus funditus deletis sal inspersus sit, cuius rei exemplum urbs *Sichemorum* diruta esse potest, quae in probrosam memoriam et argumentum perennitatis uastitatis sale confata est. *Iudic. cap. 9.* Deinde ossa illa judicialis pariter ad solemnem usum salis antiquum in rebus humanis pertinuit, panem puto, quem certis uerbis deuotum, Deos in execrationem precati, reis offerebant sale admixto, ea opinione, quenquam mali consciuum panem salitum, qui dirarum imprecatione dedicatus sit, deuorare non posse. Et quum olim nondum usus pecuniae, mos autem esset omnia necessaria, fundos, domos, esculenta, poculenta pecudibus, in quibus totum eorum patrimonium repositum fuit, sibi comparandi, mancipia etiam, uti apud *Hesychium* est, seruosque sale commutare antiqui homines soliti sunt. Thracibus enim praesertim peculiare fuit, sale coemta mancipia habere. *uid. Alex. ab Alex. L. 3. c. 20.* Tandem adhibebant sal quibusdam in locis non solum ad suffragium cuiusdam rei inter amicos obtinendum, uel ad id, quod obtentum erat, magis magisque corroborandum, *uid. Ioh. Wigandus de Sale,* sed etiam in amicitia ipsa, inque aliis rebus sacris uariis quidem et multis. Sicuti enim sal cor.


corpora solidiora facit diuque conseruat, uel sicuti sal ex aquis multis et fusi-
libus in unum quoddam et solidum coaluit, sic etiam sale amicis et hospitibus
in mensa adposito, amicitiam et jus hospitalitatis contrahentes, firmitatem
amicitiae hospitique perpetuitatem sancire seque inuicem monere solebant, ut
animi ex diuerso conuenientes in unum semper perseuare uellent, male plerum-
que ominantes, si contigerit, sal in mensa profundi, ac si ita amicitiae
foedus rescissum fore portenderetur. *Vid. Ioh. Pierius Valerianus in Hi-
eroglyph. lib. 31.* Generatim uero salis magnam religionem apud antiquos
in mensa fuisse inde nouimus, quia, Pythagora docente, sal primum in
mensa adponebatur primoque reponebatur, et Macrobius dicit: *sacras
facite mensas salinorum adpositu;* ut adeo in profanis habitum sit, men-
sam carere salino, contra uero adpositus sal eandem consecrare uideretur.
Salinum igitur apud ueteres in mensa sancta res erat, et quamuis plerum-
que mensam suam non uasis argenteis instruerent, tamen semper, qui pote-
rant, salinum cum patella deorum ex argento habuerunt, ita ut Fabricius
etiam bellicosos imperatores plus, quam pateram et salinum ex argento
habere uetaret, *teste Plinio, Lib. 33.* Tanta autem autoritas salis apud
ueteres in rebus templi erat, ut nulla sacrificia nisi cum sale facta sint,
*teste Plinio, qui Lib. 31. scribit: maxime in sacris intelligitur salis autori-
tas, quando nulla conficiuntur sine mola salsa.* Mola autem, qua proprie
frumenta franguntur, molito farri tribuitur, et sic mola salsa far tostum
et sale conspersum fuit, quo molito hostiae adpersae sunt. Aspergebantur
uero mola salsa praesertim frons uictimae, foci et cultri, *docente Seruio
ad L. II. Aeneid. Virgil.* quae quidem mola salsa quod horna potissimum
fruge et harno semper sale facta sit, idem *Seruius* testis est. Casta prae-
sertim mola, et sale tuso, et in ollam fictilem cum aqua immisso uirgines
Vestales sacrum facere solebant Vestae in Argeis per singulos annos Men-
se Majo. *uid. Alex. ab Alex. Lib. 2. c. 21.* Quoniam uero salis colo-
res uarij sunt, in nostra terra candidus, in Lusitania purpureus, in
Tranlyuania uiridis, niger marinus, cinereus Sarmaticus, et qui
reliqui alij colores salis reperiuntur, auctoritate *Demstheri* ad Rosinum
de Antiquitatibus Romanorum, qui docet, quod sal praesertim *rufus Ve-
stae* oblatu sit, illud certe non absimiliter conijcere liceat, singulis numi-
nibus suos sine dubio sales, quod colorem attinet, oblatos esse. Reliquum
magna religio salis etiam apud antiquos homines in funeribus fuit, nec non
in epulis funebribus, in quibus sal quidem semper adpositus inter prima
indi-

GRATE 1179 X 3372781
indicia luctus numeratus est, ita ut Crasso etiam ad Parthicum bellum proficiscenti, uti *Plutarchus* in uita *Crassi* refert, malo omni habitum sit, quod, quum primum in ripa ulteriore ebaria militibus diuiderentur, falem praebuerint, quoniam sal lugubre habebatur, mortuis apponi solem-niter consuetum. Propter hos et alios uarios usus, quos sal apud ueteres cum in rebus humanis tum diuinis habuit, significatio salis apud Latinos uarie translata est. Sic transit nomen salis in latina lingua ad urbanitatem et jocum, ad leuitatem et uilitatem rerum, ad aequitatem et iustitiam, ad uenustatem et formositatem corporis, ad amicitiam et fidem, et inter alia, quum nimis longum esset, singula referre, in quibus salis translatio apud Romanos obtinuit, ad ingenium etiam et sapientiam.

De sale autem et salis antiquo usu, profano et sacro, transeo ego nunc ad uirum beate defunctum, CHRISTIANVM KEIMANNVM, Mo-deratorem olim et Doctorem de Gymnasio nostro bene meritum, Virum prudentem et eruditum, in quo multum salis fuit, cuiusque scripta salibus Atticis etiam pulchre conspersa sunt, ut memoriam *illius proximo die Martis* in Gymnasio nostro *nostra Oratione* publice recolendam jam signi-ficem.

Rogo itaque omni pietate et obseruantia, ut MAGNIFICI ac No-bilissimi CVRIAE PROCERES, VENERABILES ECCLESIAE MINISTRI, OMNES-que Gymnasii FAVTORES et AMICI huic memoriae recolendae interesse, meque breuiter dicentem beneuole audire uelint. P. P. Zittauiae,
XIII. Trinitat. MDCCLXVI.





B.I.G.

Farbkarte #13

de vano apud Veteres salis usua.

AD
ANNIVERSARIAM ORATIONEM
IN
MEMORIAM
CHRISTIANI KEIMANNI,

GYMNASII QVONDAM ZITTAVIENSIS
DOCTORIS INSIGNITER PROMERITI,

FVTVRO DIE MARTIS,

D. XXVI. AVGVST. AN. MDCCLXVI.

HOR. VIII. MATVT.

AB SE HABENDAM

OBSEQVIO, QVO PAR EST, ET OBSERVANTIA

INVITAT

ADAM DANIEL RICHTERVS,

GYMNAS. DIRECT.

ZITTAVIAE,
LITERIS VIDVAE STREMELIANIS.

